



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698

Concio Tertia. Textus: Pascua invenient. Thema: Verbum Dei cibus est
animæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

FERIA TERTIA PENTE-
COSTES.

CONCIO TERTIA.

Pascua invenient. Joann. cap. 10.

Textus.

Verbum Dei cibus est animæ, quo anima
Virtutibus proficit. Thema.

Virtutibus, ac donis Spiritus Sancti repletissimum in- Exordium.
venio fuisse S. Joannem Baptistam: summæ austerita-
tis, & mortificationis; *zona pellicea circa lumbos*
ejus, locustas, & mel silvestre edebat. Matth. cap. 3.
Summæ humilitatis: *Non sum dignus procumbens solvere corri-*
giam calceamentorum ejus. Summi zelus: qui constanter, etiam
cum vitæ periculo repetebat: *Non licet tibi habere uxorem fra-*
tris tui. Marc. cap. 6. Summæ fidei, & constantiæ in adversis,
qui etiam in vinculis mansit, *Joannes in eodem.* Unde tantæ
virtutum divitiæ, ac copiosi donorum S. Spiritus thesauri? dicat
originem S. Lucas cap. 3. *Factum est Verbum Domini super*
Joannem Zacharia filium: Verbum DEI ergo pascua, & cibus
sunt animæ, gratiarum, ac donorum Spiritus Sancti. Audiamus
desuper sacram Scripturam. *Beatus, quem tu erudieris Domine,* Textus Sacra
& de lege tua docueris eum, canit David Psalmo 93. & Psal. 118. Script.
Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat par-
vulis; & iterum Ps. 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum, &
lumen semitis meis. *Verba, quæ ego locutus sum vobis, Spiritus*
& vita sunt, inquit Christus Joannis cap. 6. *Fructus pascunt*
homines, sed sermo tuus hos, qui in te crediderunt, conservat:
prædicat Salom. Sapientiæ 16. Et Isaias habet cap. 55. Sicut de-
scendit imber, & nix de cælo, & illuc non revertitur, sed in-
briat

(D) 3

briat

- briat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & semen ferenti, & panem comedenti, sic erit verbum meum, egreditur de ore meo, non revertetur ad me vacuum. Ubi hortatur S. Iacobus cap. 1. *Suscipite insitum verbum, quod test saluare animas vestras.* Et Christus ait Joan. 10. *Quos uocem meam audiunt, & ego uitam aeternam do eis, & non peribunt in aeternum.* Audiamus & Patres: Innumeras uarias facit verbum Dei in anima, nam franat eam à peccatis, reuocat, illuminat, inflammat, mundat, pascit, confirmat, sanat, cunctas, emollit, & totius boni capacem facit, etenim uerbum est frantum, uita, lux, ignis, cibus, medicina, uirtus & paratio cordium. Ita S. Thomas à Villanov. Serm. in Sexagesimo. *Uerbum est consilium, ubi bonum est uerbum Dei, misit Dominus uerbum suum, ut sanaret hominem, non ut perderet, hoc uerbum medicina est, docet S. Ambrosius in Ps. 45. Uerbum Dei, pascua uita, refectio anime, dulcedinis pocula, dilectorum consolatio, letificantia corda, chariora diligentibus Christum super aurum lapidem preciosum multum, & dulciora super mel & fructum. Verba sunt S. Bernardi Serm. 10. in Cœna Domini. Sicut uerbum Dei pascitur cibo, sic reficitur anima uerbo Dei, scribit S. Augustinus Serm. 16. de temp. Sicut uerbum Dei aeternum est in celo, ita uerbum Dei est pabulum sanctorum in terra. Bellovacensis lib. 3. spec. part. 1. dist. 10. S. Bernardi. *Solis natura est eis, qui in hoc mundo sunt, ordinante Deus uerbaliter dare uitam, illam conservare, insuper augmentare, etiam uerbum Dei in anima hac tria specialiter operatur.* Ita Bernardinus Serm. 9. in Dom. 1. Quadrages. *Concludo cum Chrysostomo hom. 32. Sicut corporalis cibi appetitus iustitiam est bona ualeitudinis, ita desiderium spiritualis doctrine, maximissimum argumentum est, anima benè habentis.* Divina gratia invocata Conceptus pandam.*

CONCEPTUS I.

Exodi 32. Moyses verbum Dei comparat rori: *Fluat ut ros* Confirmati
eloquium tuum. Rori campos fecundanti subscribit Academicus
 Lemma: *Inde salus & precium.* Salus, cum languidæ segetes
 rore salvifico erectæ salvantur, quot roris guttis, tot preciosis
 gemmis divites crescunt, & maturescunt: Rori ergo comparatur
 verbum Dei, quia verbo Dei animæ hominum salvantur, virtuti-
 bus exornantur, donis ac gratiis S. Spiritûs ditantur: tam ex lege
 veteri, quam nova proba patet: Divina bonitas salutem homi-
 num ordinavit, quis dicet quo medio? medio verbi Dei: *Suscitabo*
super vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum
istum. Jerem. 29. *Et erit in novissimis diebus preparatus mons*
domus Domini in vertice montium, & elevabitur super omnes
colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi &
dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum
Dei Jacob, prophetat Hæias cap. 2. Et quomodo fient hæc omnia?
 medium subnectit: & est verbum Dei: *Docebit nos vias suas, &*
ambulabimus in semitis ejus, quia de Sion exhibit lex, & verbum
de Jerusalem. In nova lege ad salutem præmittitur præcursor S.
 Joannes Bapr. Lucæ cap. 3. *Prædicans baptismum pœnitentiæ: &*
egrediebatur ad eum omnis Judææ Regio. Advenit ipse Salvator
 quærere, quod perierat, & incipit à verbo Dei. *Cæpit Jesus in*
Synagoga docere. Marci c. 6. Ante gloriosam suam ascensionem,
 & Apollolis imperat in mundum universum se dividant, eumque
 ad salutem reducant medio verbi Dei: *Ite in mundum univer-*
sum, & docete omnes gentes. Matth. 28. Verbum Dei ergo pasqua
 dico, per quæ anima proficit, in virtutibus ditescit, ac donis S.
 Spiritûs.

CONCEPTUS II.

Exodi cap. 28. ordinavit Deus, ut summus Sacerdos ad oram
 vestimenti sacri mala punica, & tintinabula affixa haberet

Deor.

Deorsum verò ad pedes ejusdem tunicae per circuitum, quasi mala punica facies &c. mixtis in medio tintinnabulis. Quid mirum si hic latet, quod mala punica cum tintinnabulis ad ornamentum sacri Deus immixta, & adjuncta ordinaverit? mystice ex qualitatibus mali punici, & signo tintinnabuli eruat. Mala punicum, durissimam & amarissimam habet corticem, intus vero fovet succum suavissimum, ac pretiosissimum; symbolum proferens virtutum, ut castitatis, humilitatis, devotionis, patientiae &c. castè vivere, humiliter de se sentire, abstinencia & mortificatione corpus suum affligere, ac poenitere, an non dura amara cortex est, at intus fructus fovet dulcissimos ac pretiosissimos; videamus precium, gustemus suavitatem: castis precibus suscipitur fructus visionis beatificae: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, Matth. 5. Humiles expectat gloria, & exaltatio. *Qui se humiliat exaltabitur.* Lucae 18. Poenitentes se mortificantes numerabuntur inter Dei filios, & haec dicitur Paulo ad Hebraeos 11. *Angustiari & afflicti &c. acciperent promissionem.* Tintinnabulum, seu campana signum est, seu monitio, adhortatio ad bonum opus, ut, ad orandum, ad docendum; figura verbi divini, concionis, exhortationis; tintinnabula, seu campanulae, Deus ordinavit in veste sacerdotali patere debere mala punica; indicans, & edocens; tintinnabulum, verbum Dei, pias conciones, lectiones, meditationes, quibus per fructus virtutum, ad virtutum gradus pervenitur, & delectatur ulterius Exodi 37.

CONCEPTUS III.

Citato libro praecepit Omnipotens, Arca foederis, seu Propitiatorium, à Cherubinis custodiatur, tegatur, circumdecorari, & ornari. *Duos etiam Cherubin ex auro ductili, quos posuit in utràque parte Propitiatorii, Cherub unum in summitate partis, & Cherub alterum in summitate partis alterius, dantes Cherubin in singulis summitatibus Propitiatorii, extendentes alas, & tegentes Propitiatorium.* Cur arcam Dei, ac Propitiatorium re-

à Cherubinis, & non etiam Seraphinis Angelis, observari, ac custodiri Deus præcepit? notare libeat; Cherub, hoc nomen, idem significare, quam *scientiam Dei*, inquit S. Gregorius. Verbum Dei, lex, ac præcepta divina, anima, ac Spiritus sunt arca, & propitiatorium, à Cherubinis, id est, scientia Dei, Verbo Dei, ordinavit Altissimus, Arca, & Propitiatorium custodiatur, tegatur, adornetur, indicans: Animam ac spiritum hominis; quam optimè, à malis, ac peccatis custodiri, per Verbum Dei; per scientiam legis, ac præceptorum divinorum, pulcherrimis virtutibus adornari, preciosissimis donis S. Spiritus ditari.

CONCEPTUS IV.

Jobo, inquit facer textus lib. Job. cap. 42. post ruinam, fratres ac sorores condolentes, tulisse munera: Ovem, & inaurem: *Et dederunt ei unusquisque ovem unam, & inaurem auream unam.* Quid mysterii latet, quòd ovem cum inaure obtulerint? Ovis est symbolum hominis prædestinati, ac virtutibus ornati, & ditati donis ac gratiis S. Spiritus: *Statuet oves à dextris.* Matth. 24. Inauris, auriculæ est ornamentum, mysticeque denotat facilitatem, optimamque dispositionem, ad audiendum; Ovi ergo fratres Job, adjungunt inaurem auream, ad denotandum: Audiendo ferventer Verbum Dei, fieri hominem Ovem Christi; ornatum virtutibus, dotatum donis S. Spiritus, ac ad gloriam prædestinatum. Sic concludit Didacus Stella in cap. 11. Lucæ: *Habent divina verba, nescio quid divini, & paterni amoris, quod audientes filii Dei, qui ad æternam beatitudinem destinati sunt, in ipsis agnoscuntur, gaudent, & exultant.*

CONCEPTUS V.

S. Paulus à charissimis suis Vale accipiens, sic finit Sermone Act. 20. *Et nunc commendo vos Deo, & verbo gratiæ ipsius:* suffecisset dixisse, *commendo vos Deo:* quid significat ergò hæc additio: *Et verbo gratiæ ipsius:* quid est intelligendum per illud verbum gratiæ? S. Cajetanus super citatum caput 2. Actorum

Pars II.

(E)

textum:

textum: *Verbo gratia ipsius*, sic explicat: *Sermoni Dei ad vobis gratia, quâ salvi sumus.* Commendat igitur nos Apoll. Deo, cupit nos virtutibus repleti, donis, ac gratiis Spiritus Sancti ditari: ad hæc medium præscribit, nempe Verbum Dei, mirum si diligenter, avidè, attentè, audiverimus Verbum Dei, illudque corde retinuerimus, fiemus commendati Dei, grati cepti, virtutibus ornati, donis S. Spiritus divites, electi, ac destinati. Mellifluè S. Bernardus Serm. 1. in Sept. Data *signa quadam & indicia salutis, interea que fiduciam præbent & materiam spei, unum illud maximum est, Verba DEI audire.*

CONCEPTUS VI.

Æterna ac infallibilis Veritas Joan. c. 5. inquit: *Amen dico vobis, qui Verbum meum audit, habet vitam æternam.* S. Bonaventura hic miratur modum dictionis: *Qui audit Verbum meum, habet vitam æternam;* aptius dixisset: *habet vitam æternam.* Ast de præsentis loquitur, jam habet vitam æternam, qui Verbum Dei audit: & quomodo in præsentis, jam ætèrnaliter vitam æternam habet, qui audit Verbum Dei? respondet S. Bonav. *Qui Verbum Dei audiunt, in præsentis recipiunt gratia:* gratia inquam donorum Spiritus S. mediante quibus donis jam prægustant dulcedinem, ac suavitatem vitam æternam. *Quia ex auditu Verbi Dei,* inquit S. Thomas Aquinas Serm. 2. in Pass. *vitatur omne malum, secundo acquiritur omne bonum.* Verbum Dei pascua ergo merito dico, in quibus saginatur vitam gratiis Spiritus Sancti.

Epilogus.

Hortor ergo cum S. Paulo ad Philipp. 2. *Vestram salutem operamini, Deus est enim, qui operatur in vobis, & velle & efficere, pro bona voluntate.* Medium adnectit: *Verbum Dei continentes,* id est: Verbum Dei, Sermones, ac Conciones zelosè audientes, hæc vitam æternam conciliant. Amen.

SS(O)SS